



# **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

CCLXXIII. Der Römische König Adolph macht der Stadt Lübeck Vorwürfe,  
daß sie auf der von ihm anberaumten Tagsatzung ausgeblieben sey, und  
befiehlt ihr, deswegen zu Prenzlau vor dem Markgrafen Otto ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

solidum commisimus, nostro nomine singulariter ac vniuersaliter placitanda, Volentes quecumque cum prefatis Burgenfibus nostris placitanda tractauerit, rata penitus et inuiolabiliter obseruari. In quorum etc. Acta sunt hec et data Mülhufen, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XCV<sup>o</sup>., quinto ydus Januarii, anno III<sup>o</sup>. regni nostri.

Nach dem Copialbuche des Geh. Cabinets-Archives Imperium Ludovici Imperatoris Nr. XLI. Fehlerhaft abgedruckt bei Ludwig, Reliq. Man. II, 251.

**CCLXXIII.** Der Römische König Adolph macht der Stadt Lübeck Vorwürfe, daß sie auf der von ihm anberaumten Tagfagung ausgeblieben sey, und befiehlt ihr, deswegen zu Prenzlau vor dem Markgrafen Otto von Brandenburg zu erscheinen, welcher vom Könige bevollmächtigt sey, mit ihr von des Reichs wegen zu unterhandeln, am 9. Januar 1295.

Adolfus, dei gracia Romanorum Rex, semper Augustus, Prudentibus viris Consulibus et Uniuersitati Ciuium Lubicensium, fidelibus suis dilectis, gratiam suam et omne bonum. Admirari compellimur uehementer, quo motu, ad nostre Regie maiestatis vocati presenciam, coram nobis comparere minime curauistis, licet plerumque omnes principes, Comites, nobiles et barones, nec non Ciuitatum aliarum quarumlibet meliores Terrarum Saxonie, Misnensis et thuringie, ad nostre uocacionis edictum, suam nobis exhibuerint presenciam personalem. Ex quo cum contra vos grauem concepissemus indignacionis materiam et rancorem, Illustris Otto Marchio Brandenburgensis, filius quondam Johannis Marchionis Brandenburgensis, princeps noster karissimus, pretendens multa per vos sibi exhibita seruicia graciofa, ab huiusmodi indigacionis materia nos avertit, Nostram cellitudinem summo studio deprecans et exhortans, graciosius annuere dignaremur, ut sua interposicione vos nostre et sacri Imperii conformaret graciae et fauori. Nos igitur eiusdem principis nostri precibus inclinati suis uotis annuimus in hac parte eidemque, quantum ad uniuersa et singula negocia, que uobiscum habemus tractanda, in solidum commisimus uices nostras, uobis sub obtentu graciae nostre precise mandantes, quatenus ante festum Purificacionis beate Virginis proximum, quod nunc instat, per vestre Ciuitatis Maiores, Meliores et magis ydoneos, quos ad hoc duxeritis eligendos, pleno mandato suffultos, prefato principi nostro in Prinzlauia occuratis, Audituri negocia, que idem nostro nomine uobis duxerit proponenda, et eadem iuxta suam requisicionem, per omnia completuri, sicut nostram grauem indignacionis offensam uolueritis euitare. Quicquid autem idem princeps noster, nostro tractauerit nomine seu ordinauerit, idem gratum et ratum habebit nostra Regia cellitudo. Presencium testimonio litteras nostre maiestatis sigillo roborare (iussimus). Datum apud Mülhufen, v. Idus Januarij, Ind. VIII, Anno domini Millesimo Ducentesimo nonagesimo Quinto, Regni uero nostri Anno Tercio. Pro certo tenentes, quod si mandatis nostris non parueristis in premissis, contemptum uestrum, prout sententia Curie nostre dictauerit, persequemur. Datum ut supra.

Nach Michelsen, Urkunden-Sammlung der Schleswig-Holstein-Lauenburgischen Gesellschaft für vaterländische Geschichte I, S. 139. 140.